

folium caput, sed & reliquas corporis partes frigore affectas, valet. Suavissimi est odoris, & facilis consumptionis. Calida & secca in secundo gradu. Cæterum vi quadam aromatica & peculiari suo calore hoc Gummi præstare, ac partibus nervosis illitum, vel emplastri forma applicatum, prodesse, multi mecum experti sunt.

Folia arboris contusa lumbricos enecare, si exhibeantur, constanter Indigenæ affirmant.

Interior corticis substantia rasa, & aquæ imposita, contra ventriculi ventositates, ad potiunculæ formam præparatur, alvumque simul movet.

CAPVT X.

Caaopiá.

HVmilis ac tenera hæc Arbuscula guttifera, à Lusitanis *Paço de Laca* appellatur, quod gummi seu gutta quædam viscosa ex cortice ejus defluat. Passim & è quovis terræ genere progerminat. Ligno est lento, cortice è cinereo rufescente: dissepiscitur in multos ramos. Folia habet folida, inferiori parte ex viridi quasi rufescentia & aspera, superna dilute viridia & splendentia. Florum in umbellas congestorum rudimenta sunt globuli brunni, magnitudine lentis, qui successu temporis protrudunt flores quinque foliolis constantes, exterius ex viridi flavescentis coloris, interius tomento albo vestitis, & staminulis luteis subtilibus repletos. Post flores proveniunt bacæ, primo virides, magnitudine cerasi, rotundæ; quæ dissecatæ ex molli, quo teguntur, cortice, succi multum eleganter flavi exsudent; intra corticem autem continetur pulpa alba constans meris cylindris juxta se positis, qui sibi invicem coherent.

CAAOPIA.



In extremitatibus ramorum, qui rudimenta aut flores sustinent, semper duo foliola acuminata brunni coloris compacta sunt invicem, quasi semiglutinata essent, & hastam sive venabulum referunt: hæc decerpta ex pediculo crocum humorem emittunt.

Florent hæc Arbores potissimum mensè Novembri & Decembri: Ianuario & Febuario bacæ sunt maturæ.

Si cortex medius hujus arboris incidatur, præsertim quando florere incipit, & linquatur per unum atque alterum diem, exsudet lacryma croceo-rubra, egregia, coagulaturque; quæ initio mollis, postea indurescit. Convenit colore & consistentia cum *Ghitaremi* sive *Gutta gamba*, & eodem fere